



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Gratias pro acceptis beneficiis non referens, aut referre contemnens,  
peccatum incurrit ingritudinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

occupationibus quamuis peccatum non sit absolute, cauendum tamen est vt occasio peccandi, & scandalu pusillorum, vbi scandalum timetur. De Iudæis autem in verbo Iudæi, dicitur.

In iis autem quæ ad infidelitatis cultum spectant, nullo pacto communicandum est. Vnde non licet commodare aut donare aut vendere illis aliquid pro vsu suorum sacrificiorum, & huiusmodi, quoniam particeps esset quis criminis, vtpote adiuuans illos ad exequendum infidelitatis suæ cultum.

**I**n fidelitas vt est violatio promissionis, tractatur infra in verbo, perfidia.

*Gratias pro acceptis beneficiis non referens, aut referre contemnens, peccatum incurrit ingratitude.*

**I**ngratitudo (qua homo pro accepto beneficio gratias non refert opere pro loco & tempore, aut non agit lingua, laudando &c. aut non habet animo, recordando, recognoscendo & affectum beneuoluntæ habendo) peccatum proculdubio est: quia contra rectam est rationem, violatur enim morale debitum: nam pro beneficio accepto debetur statim gratus animus, grataque lingua, & gratum opus pro loco & tempore. Et multo magis ac maius ingratitude peccatum est, si aut animum malum rependat quis, aut vituperet, aut offendat illum à quo beneficium accepit. Committitur autem ingratitude peccatum dupliciter: scilicet formaliter, & per se, hoc est ex intentione: vt quum quis adeo ingratus est, vt vices non reprehendat, aut malas vices reddat beneficio seu benefactori vt sic. Et hoc est proprie peccatum ingratitude, quod est speciale peccatum ab aliis distinctum: & hoc est esse ingratum ex interiori contemptu beneficii. Et est peccatum mortale ex suo genere.

## Ingratitudo. 353

genere: quoniam contemptus beneficii est contemptus non tam effectus quam boni affectus benefactoris & contrariatur directè dilectioni debitæ benefactori. Contingit tamen hoc esse veniale propter imperfectionem actus, & propter primum motum ad contemnendum, & propter beneficium minimum: quia minimum tanquam nihilum: ita quòd inde fiat ut contemptus non sit perfectè contemptus propter imperfectionem materiæ: sicut furtum rei minimæ non est perfectè furtum propter imperfectionem materiæ.

Materialiter autem incurritur ingratitude peccatum, quando vel omittitur aliquid necessarium ad gratitudinem, vel committitur aliquid offensivum benefactoris non eo animo ut ingratus sit, sed alia intentione. Et tunc ingratitude non est speciale peccatum, sed circumstantiæ peccati in benefactorem commissi. Et si quidè omittitur aliquid de necessitate salutis exhibendum benefactori, aut committitur aliquid de necessitate salutis, cavendum ne fiat in benefactorem, peccati mortalis rationem induit circumstantia illa. Si verò omittitur aliquid aliter debitum, aut committitur aliter vitandum, venialis est. Et quia in omni peccato includitur huiusmodi circumstantia materialis ingratitude ad Deum omnium datorum, non oportet scrupulo quemquam moveri de huius confessione circumstantiæ, sed de illius contritione assidua sollicitum esse. Verùm quando offensæ notabilis in benefactorem aliquem commissa est, explicanda est, sicut aliæ circumstantiæ aggravantes iniquitæ, non tamen mutantem speciem.

*Inhumanitas dicitur qui seipsum nimis contemnit, & peccare in hoc potest.*

Inhumanitas